



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Disputatæ Dicuntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

13 Vtrum ille, qui habet plures præbendas, peccet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

Ratio autem in contrarium adducta falsum supponit, si quod per votum simplex aliquis det corpus suum Deo: non enim dat, sed promittit.

QUESTIO VI.

DEINDE quærebatur de his quæ pertinent ad culpam.

¶ Et circa hoc quærebantur quinque.

¶ Primo, utrum peccet qui ad ecclesiam vadit propter distributiones, qui alias non iret, quamvis a principio præbendam acceperit ut Deo seruiret.

¶ Secundo, Vtrum aliquis habens de superfluo, peccet si non det pauperi petenti.

¶ Tertio, Vtrum quando sunt diuersæ opiniones de aliquo facto, ille qui sequitur minus tutam, peccet, sicut de pluralitate præbendarum.

¶ Quarto, Vtrum mendacium semper sit peccatum.

¶ Quinto, Vtrum quantum aliquis intendit peccare, tantum peccet.

ARTICVLVS XI.

Verum ille qui vadit ad ecclesiam propter distributiones, alias non iturus, peccet.

4. di. 1. q. 2.
2. q. 1. art. 3. &
2. q. 2. c. 11.

AD PRIMUM sic proceditur. Videtur, quod ille qui vadit ad ecclesiam propter distributiones alias non iturus, peccet. Ipse enim videtur ponere obsequium diuinum, quod est impretiabile, sub pretio rei temporalis ergo committit simoniam, & ita videtur quod mortaliter peccet.

SED CONTRA. Ille qui fecit votum bona intentione, si postmodum in prosecutione voti mutetur voluntas eius, ut inuitus faciat quod volens promisit, non euacuatur meritum voti, ut videtur. Anselmus dicit in libro de similitudinibus, ergo eadem ratione qui accipit præbendam, ut Deo seruiat, non peccabit, quamuis postea mutetur eius intentio.

23. q. 100. 1.
5. q. 1. di.
2. q. 4. ar. 2.
q. 2. 0.

RESPON. Dicendum, quod ad euidenciam huius questionis notandum est, quod aliquis actus dicitur esse spiritualis dupliciter. Vno modo, ex parte principij, quod factus competit alicui persone propter aliquod spirituale quod in ipso est, sicut episcopo consecrari basilicam, & diacono legere euangelium, & in talibus actibus committitur simonia, si aliquis intendat suum actum vendere. Alio modo, est aliquis actus spiritualis non ex parte principij, sed ex parte finis tantum, sicut docere liberales artes, quarum veritas spiritualis est: sed huiusmodi doctrina non competit alicui propter aliquod spirituale officium, cum etiam gentilibus liceat huiusmodi artes docere, & in his actibus committitur simonia si vendatur finis, qui spiritualis est, si ipsa veritas, non autem si aliquis sua opera locet. Celebrare ergo diuinum officium in ecclesia, est actus spiritualis primo modo. Competit enim alicui ex hoc quod est clericus, & ideo simoniam committit, qui huiusmodi actum vendere intendit. In qualibet enim venditione pretium accipitur quasi finis: & ideo in predicto casu distinguendum est. Si enim huiusmodi distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem Deum in tali actu, ad huiusmodi distributiones respicit secundario non quasi in finem, sed sicut in id quod est necessarium ad suam sustentationem, constat quod non vendit actum spirituale, & ita simoniam non committit,

nec peccat. Sic enim acceptio distributionum non erit causa quare ad ecclesiam vadat, sed proprie huiusmodi determinatio quare nunc vadat, & non alia vice.

Et sic patet responsio ad primum, quia non ponit impretiabile sub pretio.

Ad illud vero quod contra obicitur, dicendum, quod tunc in uolente non euacuatur meritum voti, quando intentio uolentis fertur super licitum, ut cum aliquis uellet non facere illud quod uouit, si non uouisset. Si autem feratur directe super illicitum, tunc euacuatur meritum voti, ut cum aliquis uult absolute illud non facere quod uouit. Ille autem qui uult ire ad ecclesiam pro pecunia, sicut pro fine principali, habet uoluntatem delatam super illicitum, & ideo peccat.

ARTICVLVS XII.

Verum ille qui non dat pauperi petenti, si habeat de superfluo, peccet.

AD SECUNDUM sic proceditur. Videtur quod ille qui non dat pauperi petenti, si habeat de superfluo, peccet. Facere enim elemosinam de superfluo est in præcepto, Luca. 12. Verum tamen si quid superest, date elemosinam. ergo peccat si petenti non tribuat.

¶ 2. Præ. Aliquis tenetur inquirere de his quæ sunt necessaria ad salutem, ut aliquis subueniat cæcili in extrema necessitate, ergo tenetur quilibet inquirere utrum pauper sit in extrema necessitate, ut illi tim ei dare.

In contrarium est, quia sic uidetur quod omnes essent damnati.

RESPON. Dicendum, quod circa hoc distingendum est. Supposito enim quod aliquis habeat de superfluo & respectu indiuidui, & respectu personæ, quod tenetur pauperibus erogare, aut uidetur in paupere petente euidencia signa extremae necessitatis, aut non. Si uidetur, certum est quod tenetur dare, & peccat non dando. In hoc enim casu loquitur Ambrosio. Paſce fame morientem, si non paucis, occidit si. Si uero non appareant, tunc non tenetur dare pauperi petenti, quia quamuis tenetur dare superfluum pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare nec huic dare, sed tenetur distribuere secundum quod sibi uisum fuerit opportunum: nec tenetur inquirere, quia hoc esset nimis graue, quod de omnibus pauperibus inquireret, & præcipue cum de eum qui necessitatem patitur, pertinet ut necessitatem suam exponat.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

ARTICVLVS XIII.

Verum ille qui habet plures præbendas, peccet.

CIRCA tertium sic proceditur. Videtur quod ille qui habet plures præbendas, peccet ex hoc ipso quod opinioniones magistrorum sunt in contrarium. Quicumque enim committit se discrimini in his quæ sunt ad salutem, peccat: sed iste committit se discrimini ut videtur, cum faciat contra multorum petentium sententiam, erga uidetur quod peccet.

SED CONTRA. Potest esse quod in tali casu aliquis adhibet diligentiam, inquirens an habere plures præbendas sit licitum, nec inuenit aliquid quod eum moueat ad hoc quod sit illicitum. ergo uidetur quod sine peccato possit plures præbendas habere.

RESPON. Dicendum, quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur. Vno modo, faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur. Alio modo, faciendo contra conscientiam, & si non sit contra legem, ut si conscientia dicit alicui quod leuare festucam de terra sit peccatum mortale.

tale. Ex conscientia autem obligatur aliquis ad peccatum siue habeat certam fidem de contratio eius quod agit, siue etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam, & similiter quod est contra conscientiam, est malum, quamuis non sit contra legem: quod autem nec conscientiam, nec contra legem est, non potest esse peccatum. Dicendum est ergo, quod quidam sunt opiniones contrariae de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram fallam. Aut ergo ille qui facit contra opinionem magistrorum, utpote habendo plures praevidendas, facit contra veram opinionem, & sic cum faciat contra legem Dei, non excusatur a peccato, quamuis non faciat contra conscientiam, si contra legem Dei facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria quam iste sequitur, ita quod uerelicer habere plures praevidendas & tunc distinguendum est, quia aut talis habet conscientiam de contrario, & sic ita peccat contra conscientiam faciens, quam non contra legem, aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quadam dubitatione inducit ex contrarietate opinionum, & sic si manente tali dubitatione plures praevidendas habet, periculo se committit, & sic proculdubio peccat utpote magis amans beneficium temporale quam propriam salutem. Aut ex contrariis opinionibus in nulla dubitatione adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.

¶ Unde patet solutio ad obiecta.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum omne mendacium sit peccatum.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quod non omne mendacium sit peccatum. Maius enim peccatum est homicidium quam mendacium: sed homicidium potest licite fieri, ut cum iudex occidit latronem. ergo & mendacium.

¶ 2. Prae. In sacra scriptura quidam laudantur, qui tamen menti esse intelliguntur, ut obsterices, iacob, & iudith. ergo mendacium non est peccatum.

SED CONTRA est, quod Aug. determinat in lib. de mendacio.

RESPON. Dicendum, quod quandoque aliquis actus habet aliquam inordinationem inseparabiliter annexam, nunquam potest beneficiari ipsa inordinatio est aliquid superfluum, vel diminutum, & ita non potest in tali actu medium accipi, in quo virtus consistit, ut patet per philosophum in 6. ethi. huiusmodi autem actus est mendacium. Ad hoc enim inuenta sunt verba, vel voces, ut sint signa intellectuum ut dicitur in primo perier. & ideo quando aliquis uocem enuntiat, quod non habet in mente, quod importatur in nomine mendacii, est ibi inordinatio per abusum uocis, & ideo concedimus quod mendacium semper est peccatum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod homicidium semper est peccatum, quia inordinationem habet inseparabiliter annexam, homicidium. n. plus importat quam occisio hominis. Composita enim nomina frequenter plus important quam composita. Importat enim homicidium occisionem hominis indubitam, & ideo homicidium nunquam est licitum quamuis occidere hominem aliquando liceat.

AD SECVNDVM dicendum, quod sicut Aug. dicit lib. de mendacio, & hatur in glup illud ps. Perdes oes qui loquuntur mendacium, dicitur aliquis laudatur in scriptura. Quidam propter praedictum statum uirtutis, & horum fa-

cta proponuntur omnibus in exemplum, & de talibus non legitur quod mentiti sint, vel si aliqua dixerunt, quae mendacia uidentur secundum intentionem quam ex instinctu Spiritus sancti conceperunt, mendacia non sunt. Quidam uero laudantur propter uirtutis indolem, & sic in aliquibus mendacium fuisse legitur maxime officiosum, sicut patet de obstericibus. Non enim commendantur quia mentire sunt, sed propter misericordiam ex qua in mendacium inciderunt, & sic apparet in eis quaedam indoles, i. profectus uirtutis, non autem perfectio.

ARTICVLVS XV.

Vtrum oportet quod si aliquis intendat peccare mortaliter quod peccet propter hoc mortaliter.

CIRCA quintum sic proceditur. Videtur quod non oportet quod si aliquis intendat peccare mortaliter, quod peccet propter hoc mortaliter. Deus enim prior est ad miserendum quam ad puniendum, ut habetur in glo. in prin. Hic sed si aliquis intendat peccare uenialiter, non sequitur quod propter hoc peccet uenialiter. ergo nec oportet quod qui intendit peccare mortaliter, quod propter hoc peccet mortaliter.

SED CONTRA. Quicumque intendit peccare mortaliter, facit contra conscientiam: sed omnis talis peccat mortaliter. ergo &c.

RESPON. Dicendum, quod improprie dicitur, quod aliquis intendat peccare mortaliter, aut uenialiter. Malum enim est praeter intentionem & uoluntatem, ut dicitur Dio. 4. c. de diu. no. Sed quod aliquos incedit facere aliquid, quod credit esse mortale peccatum, ex hoc dicitur quod intendit peccare mortaliter. Praedicta ergo quaestio nihil aliud quaerit, nisi si quare aliquis credens esse peccatum mortale quod facit, peccat mortaliter: non autem est necesse quod sit ueniale, si credat ueniale esse, ut si fornicationem credat esse ueniale peccatum, cuius quaestio de facili patet solutio: quia cum conscientia etiam erronea habeat uim ligandi ex hoc ipso quod contra conscientiam facit, mortaliter peccat. Error autem conscientiae quandoque habet uim absoluendi, siue excusandi, quando, si procedit ex ignorantia eius quod quis scire non potest, vel scire non tenetur. Et in tali casu quamuis factum de se sit mortale, tamen intendens peccare uenialiter, peccat uenialiter: sicut si aliquis intenderet accedere ad uxorem suam causa delectationis, & ita intenderet peccare uenialiter, si alia ei supponeretur eo nesciente, nihilominus uenialiter peccaret. Quandoque uero error conscientiae non habet uim absoluendi, vel excusandi, quando scilicet ipse error peccatum est, ut cum procedit ex ignorantia eius quod quis scire tenetur & potest, sicut si crederet fornicationem suam licitam esse peccatum ueniale, & tunc quamuis crederet peccare uenialiter, non tamen peccaret uenialiter, sed mortaliter.

¶ Et sic patet responsio ad obiecta.

QV AESTIO VII.

DE I N D E quaeritur de his quae pertinent ad poenam & gloriam.

¶ Et Primo, De his quae pertinent ad poenam.

¶ Secundo, De his quae pertinent ad gloriam.

¶ Circa poenam autem quaerebatur.

¶ Primo, De poena spirituali.

¶ Secundo, De poena corporali damnatorum.

¶ Circa primum duo quaerebantur.

¶ Primo, Vtrum damnati uideant gloriam sancto-

Quodlib. S. Tho. H ium